divisione deducuntur. *L.* 73. §. 1. *ff. b.* Sic socius multorum liberorum parens, ob sumtus in alimenta, dotes, studia, peregrinationes, si eos honor status exegisset, cum socio improli divisurus deductionem non metuit: *Bachov. ad Treut. Vol.* 1. *Disp.* 27. *Th.* 8. *lit. b.* ab eâ tamen immunis non est, si quid ob delictum absque judicis injuriâ damnatus præstiterit, *l.* 52. §. *fin. ff. b.* plus parte suâ alienaverit, *l.* 68. *pr. ff. b.* aut æs alienum, ante initam societatem contractum, de communi solverit. *Leyserus Medit. ad ff. specim.* 184. *Medit.* 8. 2da: priore restrictior magisque in dubio præsumta est universalis omnium acquestuum: *l.* 7. *ff. b.* & in hanc ea, quæ ex negotiis sociorum bilateralibus comparantur, veniunt communicanda; eis, quæ ex causis lucrativis, veluti hæreditate, donatione &c. descendunt, hùc non pertinentibus. *L.* 7. *l.* 8. *seq. ff. b.* 3tia: Est particularis unius pluriumve negotiationum, operarum, aut rerum communione limitata, *l.* 5. *pr. l.* 52. §. 5. *& seq. ff. b.* eorum, quæ socii separatim lucrantur, vel possident, ratione non habitâ. *Gail. lib.* 2. *obs.* 90. *N.* 6.

SECTIO III.

Versatur societas 1mò: circa res quascunque, quarum proprietas vel usus communicari valet: non modò res singulares, sed & rerum universitates: utrum commune lucrum, & damnum ex commerciis circa eas ineundis hauriri possit, an verò communi duntaxat utilitati, aut voluptati inserviant, nihil interest. Dummodò sint res honestæ: *l.* 57. *ff. b.* hinc subsistere nequit circa res ex furto vel alio maleficio quærendas, *l.* 53. *ff. b.* neque circa eas, quarum societates ex speciali legis ob bonum publicum dispositione reprobantur. *Conf. l.* 2. *ff. ad leg. jul. de ann. l.* 1. §. 12. *ff. de extraord. Cognit.* Observandum tamen: tum demum rerum inhonestarum societatem nullam esse, si ab initio contractus sine inhonesto laboraverit: *l.* 57. *ff. b.* qui post rectè initam societatem lucrum maleficum insert, id, donec damnetur, commune facit: *l.* 53. *l.* 54. *ff. b.* quin cæteros pœnæ consortes habeat; nisi lucrum turpe esse sciverint. *L.* 55. *ff. b.* Cæterùm rerum humano commercio exemtarum usum huc spectare non ambigo, cur enim usus uni permissus pluribus sit vetitus?

§. 2. Alterum objectum societatis constituunt Jura: *l.* 3. *pr. ff. b.* æquè singularia, ùt vectigalis, venationis, jurisdictionis patrimonialis; ac universalia, ùt hæreditatis, peculii. Regula hæc non procedit in Juribus servitutum prædialium, ne communis usus prædii servientis conditionem duriorem efficiat contra *l.* 20. §. 10. *ff. de S. P. U.* neque Jura servitutum personalium communicari poterunt, cum ossibus personæ adhæreant: media hic via patet,

tet, ut commoditas communicetur: fallit pariter in cæteris Juribus merè personalibus, quæ in pröedriâ consistunt, nisi reditus exceperis. Fallit ultimo, cum legum resistit authoritas, ùt in actionibus litigiosis, actionibus injuriarum &c. si enim pro parte cedantur *l.* 3. *pr. ff. h.* pro parte cessa contra leges impingitur.

§. 3. Ad objectum 3tiò: referuntur operæ: quæ præstantur vel ab omnibus *l.* 71. *pr. ff. h.* vel ab uno, alterove, sicque valet societas inter eos, qui non sunt æquis facultatibus, cum plerumque pauperior operâ suppleat, quantum ei per comparationem patrimonii deest. *L.* 5. §. 1. *ff. h.* Sicuti verò res ex scelere quæsitas socius conferre non tenetur, ita pariter ad operas inhonestas non obligatur.

SECTIO IV.

Personæ societatem contrahentes possunt esse omnes, quêis libera est super rebus, aut operis dispositio, nulloque Jure impediuntur. Impediuntur verò alii naturali Jure ob judicii defectum; alii civili Jure 1mo: prodigi post decretum judicis, non antè. *L.* 18. *ff. qui testam. fac. poss.* 2dò: Pupilli, ita ut ipsimet non obligentur, socium verò sibi obligent, cum talis contractus claudicet, *Stryck. de Caut. Contract. Sect.* 1. *Cap.* 2. §. 20. 3tiò: Minores curatorem habentes super rebus immobilibus *l.* 3. *C. de in integ. restit.* de cæterò contrahunt liberè salvâ in integrum restitutione. Ne autem hæ personæ contrà æquitatem locupletentur; obligationi ex quasi contractu adhuc locus erit. *L.* 33. *ff. h.* 4tò: Filiusfamilias cum patre, quamdiu patriæ potestati subest: nemo enim sibimet ipsi est socius: hæc personalis identitas in peculio castrensi, vel quasi, quorum respectu filius est patersamilias, attendi nequit; neque status eum impediet, quin cum fratre, aut extraneo etiam ignorante patre, aut cum ipso patre super peculio profectitio cum effectu prioritatis patri præ aliis competente, *l.* 52. *pr. ff. de pecul.* societatem habeat.

Alterius nomine rite pariter societatem contrahunt rerum administratores, quousque præpositionum limites ex voluntate præponentium, vel lege positi reperiuntur. Suo nomine jus in re aliena, vi cujus fructus participant, habentes: imo conductores: ut tamen societas iisdem cum horum Jure cancellis includatur.

SECTIO V.

Consensu de certâ communione utrinque dato & acceptato societas

 statim